

h. 43, 50

Yc  
4447

# ARMILVSTRIVM

## VRBIS LIPSIÆ,

Habitum xv. Cal. Aprilis,  
carmine heroico descriptum.

à

Christiano Podenstein.

### EPIGRAMMA

N V P E R vt arma virum Daphnæa fronde reuineta  
 Pax vidit, tales protulit ore sonos:  
 Ecce meos video tutores, ecce ministros,  
 Præsidio quorum septa frequento solum.  
 Quorum ope, Gradivus, si quando arderet in armis,  
 Cederet, vt possem sede sedere mea.  
 Ergo fauebo illis, & quam coluere, colentur  
 A me, quamq; tegent Marte furente, tegam.  
 Sic ait, & dextra ramum protendit oliuæ,  
 Teutonicasq; illum iussit habere plagas.

*Iohannes Vittecopps*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



IMPRESSVM LIPSIÆ, TYPIS

ABRAHAMI LAMBERGI,

Anno Christi

M. D. LXXVIII.

X1980153





ARMILIVS  
Epistola  
Magnanimus  
Lipsia dicitur apud  
Dum rigidus  
Deus quibus respicitur est  
LIPSIENSIS  
AD AMPLISSIMOS ET CLA-  
RISSIMOS VIROS, GENERE, DIGNITATE,  
Eruditione, & prudentia præstantissimos, DD. Cos.  
& Senatores Reipub. Lipsiensis, Dominos  
ac patronos suos colendos

EPIGRAMMA.

LIPSI A dum nuper belli simulacra celebrat,  
Corda virum ostentans fortia, & arma virum:  
Musa mihi assistens mentem pulcerrima misit,  
Corda virum vt canerem fortia, & arma virum.  
Atq; per armorum me tunc comitata procellas,  
Calliopes cecini, quæ cecini, auctus ope.  
Hæc nunc deflexo, P A T R E S, fero poplite supplex:  
Quæ fero, vos facili sumite, dona, manu.  
Ac me spem vestri finite hinc auferre fauoris,  
Sit carmen gratum, sint rata vota precor.

Christianus Podenstein.



# ARMILVSTRIVM.



Erribile sonitū nunc dent impulsa per urbem  
Tympana, et assensu conspiret buccina rauco;  
Nunc strepitusq; virūm, fremitusq; ardescat  
Bellantum, pulsuq; pedum tremat excita tellus. (equorū  
Nunc spectare virūm iuuet arma, manusq; Ducesq;  
Magnanimosq; viros, diues quos Lipsia pascit,  
Lipsia diues opum, studijsq; asperrima honestis,  
Dum rigidi instituunt belli simulacra sub armis.

Diū, quibus imperium est Urbis, sub numine quorum  
Tuta latet Pietas, per amana vireta Minerva  
Incedit, florent felicia germina pacis,  
Et se cana Fides ingenti protegit umbra,  
Ferte pedem, ac sacra Musas Helicone vocatas  
Dum mecum duco perq; agmina, perq; procellas  
Armorum, strepitusq; virūm, et per singula mentem  
Voluens Ductores miror, numeroq; cohortes,  
Fortunasq; virūm recolo, releuate fauore,  
Et tutum praestate, nouasq; immittite vires,  
Si quæ deficient, nec vox aut verba sequentur.

Viderat Armipotens in festa pace vigentes  
Germanos, belli portas compagibus arctis  
Iamdudum clausas, nec limine cedere Ianum;  
Viderat, et secum: credo mea numina tandem  
Fessa iacent, stimulos nec iam sub pectore possum



Vertere, & unanimes armare in praelia reges.  
Inter Teutonicos quæ sit patientia nostra,  
Qui quondam fuerant caput insuperabile bello,  
Quis semper placuit, dum me coluere patronum,  
Omne æuum ferro terere, & quatere oppida bello,  
Ante oculos interq; manus sunt omnia. nempe  
Spernimur, & falcis gladij conflantur ad usum.  
Quin age, ne sic noster honos, infractaq; cedat  
Fama loco, resides animos desuetaq; bello  
Pectora in arma vocans, incendam Martis amore.

Talia flammato dum voluit corde, sororem  
Bellonam ire iubet, Famaq; requirere sedes,  
Teutonicas ut in arma ferat rumoribus urbes.  
Illa emensa viam causas odijq; vieq;  
Explicat, & Fame replet sermonibus aures.  
Extemplo magnas emissa it Fame per urbes,  
Parua metu primo, confusaq; verba volutat;  
Mox sese attollens vires accersit eundo,  
Et populos varijs iam tum rumoribus implet.  
Has adijse oras inimico è sanguine gentem,  
Cui populi properent se multi adiungere, amore  
Martis: ita in terris sub limine Solis utroq;  
Arma parare Duces, pœnam ut cum sanguine poscant  
Christiadum, Satanae furor in quos arietat ingens.  
Talia Fama hominum passim diffundit in ora.

Protinus ad proceres cursus Dea Nuncia torquet,

Seq;



Seq̃ AVGVSTIAD Æ veris sermonibus offert,  
 Bellatorq̃ Deus menti incidit, atq̃ pericla  
 Proponit, stimulosq̃ acres sub pectore vertit.  
 Ergo velut Patria pater, Imperijq̃ columna,  
 Iusticie columen, sacra tutela Minerue,  
 Pacis subsidium, Gradiui fulmen et horror,  
 Huc illucq̃ animum rapit, ac per singula versat.  
 Ac velut horrescit longè presaga mali mens  
 Agricola, Boreas armatus turbine rauco  
 Per mare cum graditur, vel terras turbine perflat,  
 Væ quibus insistet terris, dabit ille ruinas  
 Arboribusq̃ satisq̃, atq̃ eruet omnia latè;  
 Sic AVGVSTIADES, cuius prudentia mentem  
 Format, fata videt populis portendere bella,  
 Et patrie instantes ingenti mole ruinas,  
 Ni cito subsidio subeat, Martemq̃ fatiget.  
 Hec alternanti visa est sententia prestans.  
 Indicit primis iuuenum, et iubet arma parare,  
 Ut possint, quando ingruerent bella, horrida bella,  
 Tutari patriam, detrudere finibus hostem.  
 Mittitur hinc Venulus diuersa per arua per vrbes,  
 Iussa ferens Ducis, ut scabra rubigine adesa  
 Arma nouent, seq̃ unanimes hortentur ad arma.  
 Iussa parant vrbes. in primis Lipsia Martem  
 Suscitât, egregijs dum sese ostentat in armis.  
 Flos Iuuenum, virtusq̃ virum consurgit, et omnes  
 A 3 Arma



Arma volunt, rapiunt tectis, & spicula tergent  
Aruiua pingui: vasta fornace liquefcunt  
Aera, chalybsq; fluit riuis, incudibus ietus  
Dant validi gemitum, capitis dum tegmina chari  
Tuta cauant, dumq; informant thoracas ahenos,  
Aut leueis ocreas, aut pondera ahenea, flammis  
Sulphureis sonitum quæ dant emiffa per auras.  
Signaq; ferre iuuat belli, sonitumq; tubarum  
Accipere, atq; armis totum circundare corpus.

Dicite nunc Heliconiades, cantuq; docete,  
Lipsia quos voluit moderaminis effe magistros,  
Ductoresq; virum, quæq; agmina quenq; fecuta  
Ad fuerint, quibus illa viris, quîs floreat armis;  
Scitis enim Diua, & visa euulgare potestis.

Primus in it pugna simulacra, atq; agmina ducit  
Vir præftans animo, magniq; ipfe agminis inftar  
GRYPHVS, quem iuffit geminas examine lances  
Tollere Iufticia equato, & discernere lites,  
Iudicis officium clara dum gèftat in urbe.  
Quingentos illi commiffit Patria, bello  
Præftantesq; viros, & erant qui viuida virtus,  
Quos coluiffe domos placuit fub mænibus urbis,  
Mænia quiq; colunt extrâ, quâ fe tribus una  
Diffundit, cuiusq; vocat de nomine porta,  
Quam fubit adueniens fumantibus Halla falinis.  
Dux inter primos præftanti corpore feuis

Quatru-



Quadrupedem stimulus agitatur, totumq̄ per agmen  
Vertitur huc illuc; cuius de vertice penna  
Assurgunt Gryphis, virtutum insigne, decusq̄  
Nominis egregij, magnumq̄ ad fortia calcar.  
Namq̄ ferunt Gryphum magna virtute Leoni  
Par esse, et prædam quando circumuolat uncis  
Speratam pedibus, tantum sub pectore robur  
Sentire, ut sonipem transfigat, et unguibus uncis  
Vnà armatum equitem duplicet, sursumq̄ per auras  
Herentes tollat nidis immitibus escas.

Post hunc bellatoris equi fera terga fatigas,  
Ostentasq̄ animum fortem, sate sanguine claro  
Clare SIBERE, pater cuius fama æthera pulsat,  
Dum fasces magna cum laude attollere nouit,  
Et regere imperio ciues, et ponere leges.  
Tu quoq̄ quingentos delectu educis, et armas,  
Altera quos tribus enumerat, cui nomina porta  
Fecit, quæ celebris despectat mænia Grima,  
Tuq̄ places Ductor, mensq̄ omnibus una sequendi est.

Non iam carminibus nostris indictus abibis  
SCHELHAMMERE, decus patriæ, pars magna Senatus,  
Exortem iussit patria hunc quem ducere honorem,  
Ut nempe hos, resides animos desuetaq̄ bello  
Agmina, in arma, armis animisq̄ instructa, vocares,  
Quos habitare iuuat prope PLISNÆ flumina, quæ se  
Arx tollit, spectans Petrinæ limina portæ.

Miratur



Miratur te turba patrum, atq; effusa iuventus,  
Attonitis inhians oculis, ut fortis ad arma  
Dux sis, consilij habitus nec futilis autor.

Ecce etiam insignes fama, felicibus armis  
Incedunt ciues, Urbis pars quarta, colentes  
Portam, Ransstadium quæ vergit, iterq; ministrat,  
Quæ Duce GRVNVVALDO latis se extendit in aruis  
Turba, animis superans, et versicoloribus armis,  
GRVNVVALDO, cuius viridanti gloria flore  
Accrescit, magnam factura nepotibus umbram.

Hi lecti proceres educunt robor a pubis.  
Quatuor attollunt vexilla ornata colore  
Cæruleo, et flauo; egregij quoq; quatuor adsunt  
Signiferi; ciues quingenti quenq; sequuntur.

At Vos quo cantu referam, quo carmine dicam  
Conquistores, iussit quos Ensifer Heros  
Arma virum, galeas, et fortia corpora bello  
Defixis spectare oculis, et mente notare?

Teq; adeo in primis, cui Pallas utraq; nota est,  
HOLLEFERE vocat Musa, et super aethera tollit  
Laude, tuumq; decus spargit cantando per orbem.  
Bellicæ te virtus laudat, te principis aula  
Saxonici colit, et factis illustribus ornat.

Nec te prætereo, DE QVERCV nobile nomen  
Qui singis, nulli veterum virtute secundus,  
Arcis in imperium missus, quæ nomen adeptæ est

PLEIS-



PLISSENBURG. Plisna praterlabentis ab unda.  
Fama tuas tollit laudes plaudentibus alis,  
Quotq̄ per armorum strepitus, belliq̄ furores  
Virtus sit tua veſta, & ſit ſpectata celebrat.

Vos etiam, ó Patres, atque urbis lumina, castra  
Accipiunt, validaſq̄ iuvat ſpectare cohortes.  
Non ego vos noſtris complecti verſibus opto,  
Nec fas, nec menti veniat tam dira cupido.  
Sed veluti delibat apis modo germina florum  
Summorum properans, tectis quod ſedula tractet:  
Sic ego vix veſtra veſtigia laudis adirem  
Cantando, quamvis Phæbum Muſasq̄ cierem.

Expeſtata dies tandem ſe tollit Olympo,  
Et bis nona Aurora diem mortalibus almam  
Oſtendit Martiū, referens opera atq̄ labores;  
Auditur fragor, & longè armorum ingruit horror.  
Ante urbem in circumiueis tentoria velis  
Bina locant, quò ſe magna ſtipante caterua  
Conquiſitores referant, turbamq̄ ſonantem  
Conuentu in medio ſpectent, atq̄ ordine poſſint  
Aduerſos legere, & venientum diſcere vultus.

Atq̄ ea dum diuerſa urbis ſic parte geruntur,  
Interea ciues tectis circum omnibus aſtant,  
Armatiſq̄ foro coëunt, cinguntq̄ corona,  
Signa expeſtantes: forti ſe ſuſcitat ira  
Quiſq̄ virūm, ac toto ſcintilla ardentis ab ore

B

Absiſtunt.



Absistunt, certam quo turbine torqueat hastam,  
Quantus & in ferrum assurgat, valida ossa, lacertosq;  
Ostendisse iuvat, pavor exultantiaq; haurit  
Pectora pulsando, laudumq; immensa voluptas.  
Cum tauro sic hostis ubi decernere tendat  
Cornibus, ad pugnam sparsa proludit arena,  
Et tentat sese, atq; irasci in cornua discit  
Incurrrens truncis, & verberat ictibus auras.

Inde ubi clara sonum committunt tympana, ciues  
Ordine procedunt monstrato, armataq; porta  
Agmina se fundunt Hallensi: maior imago  
Apparet Martis, vexillum Signifer effert,  
Datq; Notis, diuersa regunt quod flamina tractu.

Principio aspicias cedendis lignibus aptam  
Turbam armasse latus gladio, atq; in cote secures  
Versauisse, trucemq; animos spirare feroces.

Hos sequitur fidens animis armisq; iuuentus,  
Cristatis pileis, fidoq; accingitur ense;  
Imponunt humeris tormenta ex aere, per auras  
Sulphureis flammis que spargunt incita glandes  
Liuentis plumbi, ut caelum tonet omne fragore.

Nec minus armatura duplex fida agmina iungit,  
Tegmina quis capitum galeae, de vertice flammam  
Quae mittunt, veluti crinis, qui nocte vagantem  
Mentitus stellam (tacita) mortalibus agris  
Immittitq; metus, clademq; minatur & arma.

At



At thorax pectus munit, surasq; fatigant  
Inclusas ara, & longis hastilibus horrent.

Non ego transierim fortissima pectora bello,  
Quis gestare dedit lorica ex aere rigentem,  
Cuius iuncturas argentea fibula mordet,  
Mars Deus Armipotens, quorum pars magna recoctas  
Dextra hastas gestat; falcati comminus enses  
Defendunt laevam; pars indefessa bipennem  
Tollit Amazoniam, sed pars Alpina coruscat  
Gesa manu, sclopoq; intendit rumpere ventos.

Talibus auxilijs, & tali robore septus  
Ante & pone, legit gressum, & vestigia figit  
Signifer, effulgens tenijs ac veste decorus:

Flexilis obtorti per collum it circulus auri,  
Et capulum gladij rutilum nodatur in aurum;  
Nuncq; sirus soluit vexilli, ut flamina rectè  
Extendant, nunc in gyrum vibrando laceffit.  
Ecce fremunt densi circum vexilla, coluntq;  
Signiferum hinc illincq; viri fulgentibus armis.  
Cassus habet crines, & tristibus effera flammis  
Splendorem emittit, veluti cum caerulea nubes  
Ardescit longè radiantis imagine Phæbi,  
Imponunt humeris lorica ex aere trilicem,  
Ancipitesq; manu gladios, versantq; macheras.

Non minus interea nigris spectantur in armis  
Fulmina Gradiui, qujs nobilitatis honores



Concessit Pallas, claroq; à stemmate nasci.

Agmen agunt equitum, & florentes ære cateruas.

Stat sonipes, simulatq; sonum procul arma dedere,

Stare loco nescit, flauisq; insultat habenis,

Et varios sinuat gressus, micat auribus, atq;

Collectum elatis voluens sub naribus ignem

Tellurem cauat, & solido sonat ungula cornu.

Hic postquam exierat portis equitatus apertis,

In campos alios, locaq; in diuersa vocatur

A cætu peditum, armorum monumenta daturus.

Ast ubi deueniunt, & diribitoria tangunt

Ciues, consistunt, & terra hastilia ferro

Infigunt præfixa, arrectisq; auribus astant.

Tum studio iuuenes florentes mollibus annis

Effusi, inualidiq; senes, & vulgus inermum,

Atq; chorus matrum turres ac tecta domorum

Alta petunt, alij portis sublimibus astant

Spectandi studio: tanta est innata cupido,

Tantus amor mentes agitat noua velle videre.

Extemplo pietate grauis, præstantior armis,

Nobilis à QVERCV sermone silentia tali

Imponit, nec abest facundis gratia dictis.

O ciues celebres pariter vel pace vel armis,

Audite, atq; animis faciles mea figite dicta.

Saxonia imperio Ducis, Electoris honores

Cui tribuit Deus, hic sumus, et mandata paramus

Quæ



Quae dedit, ut pateat ciuis quibus ardeat armis,  
Fortiaq; aduersis opponat pectora rebus,  
Quotq; armare manu, quantamq; educere pubem  
Lipsenses possint proq; ara & legis honore,  
Si bellum fieret, si res aduersa vocaret.  
Quare agite, ó Ciues, dictis parere parati,  
Æquati numero date nomina. Dixit, & inde  
Ordine procedunt, & abena in luce coruscant,  
Seq; viris præbent multa cum laude videndos,  
Virtutis dum dant monumenta, animiq; virilis.  
Sic videas cuneata gruum sublime volantum  
Agmina, dum fugiunt imbres, aut frigora brumæ,  
Ordine composito cæli per inania ferri  
Tranando, Oceaniq; urgere ad littora nubem.

Primum ita lustrauere viros, amplectitur urbis  
Quos tribus, effinxit quæ nomen nomine ab Arcis:  
Hos armata cohors sequitur, Rastadia cernit  
Quam porta, & ciues sub mœnibus auget & ornat.  
Tertia palma volans delectu educere nouit  
Hallensem portam, quiq; incola viuit in illa.  
Tandem ciuis adest portæ, rumore secundo,  
Grimmensis, vitamq; cupit pro laude pacisci.  
Et iam finis adest, cum sic hortatur orantes  
Arcis Præfectus ciues, soluitq; timorem.

Optimæ res effecta viri, timor omnis abesto,  
Arma placent, animiq; placent, viresq; sub armis.

B 3

Quod



Quod si nunc vobis laudem hanc concedit Apollo,  
Ut currendo graues possitis ferre labores,  
Nec quisquam eratas acies, facto agmine, noscat  
Miscere, oblitus decoris, sociumq; salutis,  
Non metus, ingentem tolletis ad aethera famam.  
Interea leti benè gestis corpora rebus  
Procurate viri, & pugna sperate parati  
Effigiem, simulac meta distabit utraq;  
Titan, & simulac Ductores vellere signa  
Annuerint, pubemq; armatam educere in arua.  
Sic ait; at ciues abeunt, & mœnia complent,  
Et iam tecta vijs tendunt ad splendida plenis.  
**P**Ergite Pierides, proles Iouis, en mihi totam  
Nunc fas est aciem, nunc fas est dicere Martis  
Spectacula, & versu iuuat omnia ferre sub auras.  
Maius opus moueo, maior mihi nascitur ordo  
Rerum. iam radijs Phœbi ardor fecerat aestus,  
Atq; dies medius rerum contraxerat umbras.  
Ætherea tum fortè plaga pharetratus Apollo  
Desuper aspiciens Urbem, moresq; manusq;  
Constitit, ac tales dedit imo ex corde loquelas.

Maçte ista virtute, Viri, sic itur ad astra,  
Sic decus aternat: pietatem ac templa tueri,  
Iusticiam colere, & leges dare, ponere iura,  
Pacem orare manu, depellere finibus hostes,  
Atq; vetare manu, ne rostro sollicitet Sus

Lucum,



Lucum, quo resident Pietas, Musæq̄, Themisq̄,  
Umbram dum capiunt, ducuntq̄ in odoribus ævum,  
Hoc virtutis opus. pauci quos Numen amavit  
Cæleste, & virtus quos vexit ad æthera secum,  
Hoc possunt prestare. ergo ceu frondis honores  
Perpetuò retinet, nec inertio obnoxia brumæ est  
Laurus Apollinei capitis: sic usq̄ virescet  
Gloria Elistriadum, nulloq̄ tacebitur ævo.

Hæc ita dum fiunt, potuq̄ ciboq̄ refectos  
Rursus ad arma vocant civiles undiq̄ cætus  
Tympana, & ante urbem in circo consistere mandant.  
Haud secus ac iussi faciunt, atq̄ agmina iuncta  
Cum Ducibus tentant latis diffundere campis.  
Sub pedibus dat humus gemitum, sublimibus ardent  
Campi armis, Titan radijs postquam æra laceffit.

Interea sese multis comitantibus offert  
Nobilitate potens, moti spes maxima Martis  
HOLLEFERVS, & eximio decus enitet ore.  
Spadice est inuectus equo, vestigia monstrat  
Qui primi alba pedis, frontem insuper arduus albam,  
Iuxtà equitat DE QVERCV heros, candore nivali  
Quem portat sonipes, qui vincit cursibus auras.  
Quatuor effulgent Ductores, atq̄ per agmen  
Latum limitem agunt, animosq̄ hortatibus addunt.

Dirigis inde aciem, HOLLEFERE, adiutus ab illo  
Præsidi, quem penes est Arcis defensio solum,

Composito



Composito numero in cuneos, prima agmina ducit  
Armatura duplex, & longa hastilia vibrat.  
Ordine ter septem stant, se lateriq; viri vir  
Applicat alterius, seruantq; hunc agmine toto.  
Deinde seges tollit se loricata virorum,  
Et cuneos stipat: sequitur pulcerrima turba  
Turba gerens galeas, torquens amenta, secures  
Romanas vibrans, necnon gæsa, atq; macheras.  
Hic tandem incedunt, vexillaq; bina sub auras  
Signiferi pandunt bini, quos agmina rursus  
Ponè obeunt, velut ante; & mox romphæa, sarissa  
Deinde nitet, tandem præfixa hastilia ferro.  
Atq; ubi iam finem faciunt hastilia, rursus  
Primores alij veniunt, iterumq;, iterumq;  
Agmina densantur; rursus se subijcit harpe,  
Lanceaq;, & longis ciues mucronibus horrent,  
Ordine quisq; suo; medio bini agmine rursus  
Sunt vexilliferi, & belli duo signa coruscant.

Nec satis est, addunt quoq; cornua, idonea bello,  
Si dextra læuaq; hostes se attollere vellent,  
Inq; acie hinc atq; hinc bis septem fulgere cernas,  
Area canna quibus decus, & tutamen in armis,  
Agmine partito: numerusq; ita septimus ambit  
Totam aciem, & virtute sua latera utraq; cingit.  
Tympana iamq; sonant, vocat et labor improbus omnes.  
Haud mora quadrupedes ferrata calce fatigant

Ductores



Ductores, & ad hos cursum contendere iussi  
Armati volitant campis, limenq; relinquunt  
Effusi similes nimbo, vel fulminis alis.  
Iamq; tenent metam primi, qua nempe reverti  
Noscunt, & longos ubi commutare recursus;  
Ecce vias subito vertunt, infestaq; tendunt  
Tela, aliosq; ineunt cursus, aliosq; recursus,  
Ordinibus iunctis, nec fas ut ab ordine cedant.

At tormenta alij expediunt, sonitumq; per auras  
Terribilem currendo parant emittere, iamq;  
Vna omnes properant cursus, vna aenea spargunt  
Horrissonum strepitum, commistis igne tenebris  
Pondera, sulphureosq; ignes iaculantur in auras.  
Inde alios iterant sonitus, aliosq;, volatq;  
Plumbea cum fremitu glans, ac ceu fulmine tanti  
Dissultant crepitus, caelum insonat omne tumultu.

Ac veluti Mauors, prope flumina concitus Hebris,  
Quando bella mouet, clypeo increpat, atq; furentes  
Instigans immittit equos, Bellona flagellis  
Pone subit gaudens, scissa & discordia palla,  
Ire atq; Insidia circum formidinis ora  
Voluntur, quacunq; citas detorquet habenas  
Armipotens, quocunq; furens sese agmine miscet,  
Hac comites subeunt, nec non vestigia lustrant,  
Hos aditus iamq; hos aditus tentare parati:  
Haud aliter quascunq; vias, quoscunq; recessus

C

Ductores



Ductores in equis ineunt, cursuq; frequentant,  
Insequitur nimbus peditum, vexillaq; credas  
Agminibus medijs volitare per aëra magnum.  
Consonat omne nemus strepitu, studijsq; fauentum  
Applaudunt colles, resonat clamoribus aether.

Hoc ita finito certamine, rursus in urbem  
Diducta redeunt acie; quatit ungula campum  
Alipedis, cuius luctantia temperat ora  
Arcis Praeses, et instigans ipse arduus omnem  
Infusum populum longo decedere circo  
Imperat, atq; fori ingressus iubet esse patenteis.  
Armati incedunt ciues, quos omnis euntes  
Prosequitur plausu matrumq; senumq; caterua.  
Inde forum densa postquam cinxere corona,  
Tympana pulsa sonant; cursu ter, et amplius olla  
Instituunt gyros, unus vestigia seruat  
Alterius, pede pesq; haeret, densusq; viro vir,  
Donec quadruplici sese implicuere corona  
Armati, et socium virtus descendit in unum.

At dum turba agit gyrum, dum circinat orbem,  
Vna omnes simul ardor agit per ahenea glandes  
Spargere de plumbo tormenta, sonumq; ciere  
Terrificum, ingentem iamq; vna obstacula tollunt,  
Vna omnesq; simul rupto aere pondera mittunt  
Plumbea, crebra, velut crepitent sub grandine multa  
Culminibus nimbi, sonitu quo protinus omnes

Contre-



Contremuere domus, tonueruntq; ardua terra.  
Audiunt & longè Pleisnae amnis, & audiunt antro  
Maxima Elistriadum Nympha exanimata timore,  
Et pressere suos matres ad pectora natos.

Tum demum in medios in equo sese inijcit Heros  
De **QVERCV**, ac fatur, tenuere silentia cuncti.  
Iam satis est ciues, virtus spectata per arma  
Est vestra, & poscit requiem finemq; laboris.  
Quas ego pro facto grates, quae praemia vobis  
Digna rear solui, iussis parere parati,  
Quae Dux Saxonia dedit, Illustrissimus Heros,  
Huc quod venistis, quod fortia corda tulistis,  
Quodq; animos tales? primum pulcerrima reddet  
Ipse magistratus Sancitor; cetera reddet  
Dux **AVGVSTIADES**, urbis non immemor un-  
Quod superest, quoniam melior pars acta diei, (quam  
Ite domum cum plausu, & vocem tollite ouantes.  
Sic pater Omnipotens nobis prosperrima condat  
Secula, sic etiam laeta incluta germina Ruta  
Fronde sub Imperij vireant, ramosq; coronent.  
Rutaq; Saxonia in regno spectanda decorè  
Sionides pariter, pariter Musasq; Theminq;  
Floribus aspirans suavi solabitur umbra.

Sic ait, applaudunt ciues, atq; agmina tota  
Diffundunt sese, factoq; hic sine quiescunt.

Hac super armorum strepitu, Martisq; canebam



Effigie, nuper dum se manifestat in armis  
Lipsia, qua Phæbo, & Musis tuta oci præstat,  
Et puris scatebris Heliconia temperat arua,  
Atq; hortum instaurat Musarum, in cuius opaca  
Viuimus hic umbra florentes mollibus annis,  
Atq; iuuat siluas interreptare salubres  
Gorgonei nemoris, florum & depascere honores,  
Qui crescunt castæ per florida tesqua Mineruæ.

Hoc Deus hoc iubeat, successu ut figat abundante  
Incluta Prosperitas sedem, sanctumq; Senatum  
Accipiat sors leta in se teres, atq; rotunda,  
Admissisq; in equis lucem illam prouocet Eos,  
Qua possim ad cælum vos laudis honore vocare:

Δ. T. O.







Farbkarte #13

B.I.G.

ILVSTRIVM

IS LIPSIÆ,

am xv. Cal. Aprilis,  
ine heroico descriptum,

à  
tiano Podenstein.

EPIGRAMMA

rt arma virum Daphnæa fronde reuincta  
dit, tales protulit ore sonos:  
ideo tutores, ecce ministros,  
io quorum septa frequento solum.  
e, Gradivus, si quando arderet in armis,  
ret, ut possem sede sedere mea.  
illis, & quam coluere, colentur  
quamq; regent Marte furente, tegam.  
extra ramum protendit oliuæ,  
nicaq; illum iussit habere plagas.

*Johannes VVittecopp*



VM LIPSIÆ, TYPIS  
HAMI LAMBERGI,

Anno Christi

D. LXXVIII.

X1980153

